

Pannonicum illum imitatus, graviores etiam motus ciere coepit: dein ad omnem audaciam et furorem prorupit. Caussas seditioni praetexuit easdem, quas et Pannonicus ille, quem diximus. Sed eadem illa postulabat multo imperiosius, multoque ferocius. Manus a centurionibus, tribunis, legatis, qui a senatu missi erant, non abstinuit: sed vix ab ipso Germanico. Qui uxori tum gravidae et filio suo metuens, quos in iis castris secum habebat, decrevit eos in Treviros mittere. Legiones magnam sibi ignominiae notam inuri, si id fieret, judicarunt. Quamobrem deprecatum ad Germanicum, ne id ficeret, venerunt. Haec ille arrepta occasione usus est ad increpandam exercitus amentiam: itaque hac oratione graviter eos objurgat. Facti indignitatem exemplis aliorum, et maleficiarum per seditionem hanc perpetratorum commemoratione, demonstrat. Indignos tantis imperatoribus dicit, quorum auspiciis militarunt.

«Non mihi uxor, aut filius, patre et republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum ceteri exercitus defendent. Conjugem et liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul a furentibus submoveo, ut, quidquid istinc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies inausum, intemeratumve vobis? Quod nomen huic coetui dabo? Militesne appellem? qui filium imperatoris **vestri** vallo et armis circumsedistis. An cives? quibus tam projecta Senatus auctoritas. Hostium quoque jus, et sacra legationis, et fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit, *Quirites* vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu et adspectu Actiacas legiones exterruit: nos, ut nondum eosdem, ita **ex illis ortos**, si Hispaniae Syriaeve miles aspernaretur, tamen **mirum** et **indignum** erat. Primane et vicesima legiones, illa **signis** a Tiberio acceptis, tu tot praeliorum socia, tot **praemii**